DE

PODAGRA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE II. M. MAJI A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

THOMAS AICKIN

HIBERNUS.

OPPONENTIBUS:

A. ENGEL, med. et chir. Cand.

A. E. TAAKS, philos. Stud.

G. NOTTEBOHM, med. Stud.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0229

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

H A S

STUDIORUM

MEDICORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

DICATAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Morbus articulorum dolorosus, qui praegressis turbis functionum organorum digestioni inservientium, restricta cutis perspiratione, urinis parcioribus, sedimentum rubrum deponentibus, cum febricitatione, supervenit, podagra vel arthritis a medicis nominatur.

Sed quia hic morbus valde variabilis est et casibus in plurimis cursu parum aequo progreditur et partes quoque corporis varias, structura et functione dissimiles, invadere solet cum sanitatis perturbatione generalis haudquaquam omni in casu aequali, de historia et formis ejusdem, sub quibus in lucem varia facie prodit, disseramus necesse est, priusquam methodum medendi, quae maxima utilitate contra hunc morbum adhibenda sit, tradere conamur.

DECURSUS MORBI.

Morbus podagricus, sicut diximus supra, faciem non semper exhibens eandem, sed plurimis in casibus cursu

irregulari progrediens, medicis occasionem in formam normalem et anomalam eundem dividendi obtulit, quae divisio et ad diagnosin formandam certam, et curam instituendam rationalem multum contribuens auctoribus doctissimis adaptata est. Podagra normalis ea forma est, quae paroxysmo regulari procedere solet, qui tamen raro subito intrat, sed casus adventus nonnullis ostenditur prodromis, quorum alii e systemate chylopoëtico et venis portarum emergentes per universum organismum diffunduntur et universales audiunt, alii partes ad definitas restringuntur et exinde topici nominantur. Inter symptomata universalia paroxysmum praenuntiantia enumerantur: inflatio, acor et eruditas ventriculi, ponderis sensus in regione scrobiculi cordis, nausea, vomituritio ipseque vomitus, intestinorum et ventriculi dolores, languor virium, lingua muco obducta cum ciborum aversione, sapore alienato, cum materiae acidae, austerae, tenacis, biliosae eructione, urinae turbidae spissae acidae, quae minore quantitate excernuntur, sudor odorem acidum ingratum spargens et vestimenta colore rubro nonnunquam tingens.

His paroxysmi advenientis symptomatis generalibus quam frequenter localia incerto tempore praecedunt. Symptomata localia sunt: sensus frigoris vel quasi flatus per artus pervagans, qui nunc venti adinstar pervagari sen-

titur, nunc aquam frigidam delabentem aemulatur, nec minus stupor cum gravedine extremitatum afficiendarum, spasmi flexorum pedis musculorum, vel dolor quasi obtusus articulis in ipsis, sensus ponderis et plenitudinis in pedibus saepe percepti sunt, quae omnia symptomata quotidie sensim sensimque augentur, donec spatio temporis nunc longiore nunc breviore interposito paroxysmus in lucem erumpit: aeger noctem circa mediam, aut versus auroram dolore pollicem pedis, quandoque vero calcem aut talum occupante subito expergiscitur, qui inde crescit, donec ad summum usque cruciatus gradum circa auroram pervenerit et ossicula tarsi vel metatarsi vario modo occupaverit; cum sensu compressionis et coarctationis, quandoque vero quasi dilacerationis ligamentorum et ossium partis affectae; ille dolor modo premens est vel constringens, modo terebrans, urens, lacerans, et haud raro partem adeo sensibilem reddit, ut nec vel levissimum pondus linteorum nec fortiorem per cubiculum ambulationem aeger sustinere valeat, quamquam saepe ac praecipue aetate provectiore, iste dolor violentiae gradum hunc non attingit.

Articulus morbo implicitus colorem rubrum purpureum splendentem induit, calet, intumescit, intumescentia vero plerumque oriente doloris vehementia mitigatur.

Venae pedis affecti dorsales et praecipue illae ex articulo inflammato progredientes turgescere observantur, quod etiam Baglivus omnibus paroxysmorum insultibus praecedens descripsit, et signum quasi characteristicum advenientis paroxysmi haberi voluit.

Huc advenit febris, pulsus frequentiores praesertim horis vespertinis redduntur, qui autem omni in casu non adsunt, cujus rei exemplum nuper in juvene paroxysmo podagrae graviore affecto nobis oblatum est, qui neque pulsuum accelerationem nec alia febricitationis symptomata praeter linguam obductam et caloris incrementum prae se tulit, sed hoc in casu paroxysmum exstitisse externa e violentia patefactum est.

Febris podagrica per crisin veram semper finitur, sed indolem ejus secundum idiosyncrasin, aetatem, doloris vehementiam, nec non genium epidemicum dominantem esse variabilem nec non aetate provectiori febrem ac dolorem multo mitiores quam in juvenioribus consueverint esse constat. Interdum etiam febris paroxysmis conjuncta characterem induere intermittentem observatur (1).

Baglivo auctore in podagra paroxysmus generalis

---

(1) Sydenham.

et particulares, qui universalem illum constituunt, distinguuntur: particulares singulis diebus recrudescunt hora potissimum vespertina, et postquam aegroti per integram noctem exercuerunt patientiam, post galli cantum aut circa auroram sensim mitescunt (1), quorum particularium paroxysmorum posteriores esse mitiores quam priores observavimus. Febris podagrica, quae characterem morborum dominantem facillime assumit, inflammatoria vel erythematica, raro typhosa esse solet. In podagra normali inflammatio summum usque ad gradum per 12—24 horas progreditur et diem ut plurimum usque ad decimum quartum excurrit, febri sub solennibus exacerbationibus vespertinis conjuncta, dum remissiones horis matutinis intrantes doloribus inducias concedunt; tum somnus tranquillus aegrum reficit, sudor aequabilis exacerbationis praegressae crisin sistit, remanente quidem dolore, sed mitiore nec non tumore et rubore articuli laborantis; donec perfecta crisi vel per sudores morbum levantes, vel urinas turbidas sedimentum rubrum et sabulosum deponentes finitur.

Symptomata febris cum declinatione quoque decrescunt, non prompta tamen, sed rigiditas articulationis

---

(1) Baglivi opera.

et sensibilitas morbosa cum doloribus tempore incerto intercurrentibus remanent lentiusque decrescunt.

Epidermidis in loco adfecto fit desquamatio; aegri quandoque pruritu intolerabili pedum inter digitos extorquentur et epidermis elevata sensim defurfuratur, sanitas nunc iterum revertitur, cibi appetitus, digestio, animi hilaritas redeunt, et aegri quasi pondere prementi liberati, vigorem sentiunt renovatum, donec insultus alter jam citius jam tardius iterum redit cursumque supra descriptum perficit. At quidem podagrici post primum insultum intervallo quietis majori gaudere solent quam post secundum, tertium, reliquos.

Si insultus frequenter redeunt, aut irregulariter quidem regrediuntur, tum dolorum sub insultibus vehementia decrescit, et febris parva adest, tamen nunc articulationes prius incolumes morbo corripiuntur simultaneo aut alternatim divexantur, dolores artus varios pererrant, donec postremo locus corporis nullus securus evadit, ita ut aeger, viribus gradatim fractis, artuum rigiditate ex materiae transsudatione calcariae exorta, organis chylopoeticis maxima debilitate adfectis, aut torminibus renum vel vesicae urinariae et lithiasi conflictatus aut morbi violentia confectus, aut aetate in provectiori ex mera debilitate, vel etiam apoplexiae sub insultu, vel morbo

cordis, ventriculi, vel renum, vel pulmonum, succumbat.

Morbus sub forma, quam supra adumbrare conati sumus, in lucem emergens, medico inquirenti facile patebit, atque diagnosin ejus certam sine ulla dubitatione statuere poterit. Attamen hunc morbum formas induere varias, nec tempus certum observare, nec locum corporis eundem semper aggredi docet experientia, quare formam ejus anomalam, faciem quasi larvatam, quam regionibus in variis corporis et organismi structuris exhibere solet, nunc breviter adumbrare conabimur.

Ea forma podagrae anomalae, quae post paroxysmum unum vel plures aegrum invadit, artus non solum nobiliores, sed etiam structuras membranaceas, pulmonum nempe, ventriculi, vesicae urinariae, nec non velamentorum cerebri, tunicam circulationis organorum internam, membranas oculi, ut conjunctivam, hyaloideam, aggredi potest; conversio autem vel morbi degeneratio e normali in irregularem formam ut plurimum modo sequente perficitur. Qui semel cum podagra acuta regulari conflictavit, post longius vel brevius intervallum paroxysmo iterum invaditur, sed post duos vel plures insultus febris vehementia mitior fit, charactere inflammatorio magis recedente, indoleque ad irritationem magis appropi quante, unde crises magis magisque

imperfectae redduntur, symptomatum vehementia localium sensim sensimque decrescit, donec morbus pedes relinquens partes corporis nobiliores et a centro systematis minus remotas corripit, inde genua, coxae, nec non columna vertebalis, ossa capitis, facile ejus oppugnationibus obnoxia redduntur, etiam partes corporis molliores, ut supra diximus, vel repente, vel lentius invaduntur. Symptomata quidem pro loci adfecti et magnitudine et dignitate variabilia esse, facile intelligi potest, tamen medico, adtentam aurem aegritudinis ad historiam vertenti, natura eorum et origo clare patebit; aliter autem res sese habet, ubi symptomata non clare manifestantur, ut fere fit, quum in partibus profundius sitis, dolore sine ullo, vel moderato, suam figit sedem, quod etiam in columna vertebrali podagra nonnunquam tentata vidimus, quae quidem forma aegros aetate provectos invadens, dolore vel nullo vel incertô incedere solet, ita ut quam plurimum observationi subducatur, nisi prius forte unius, postea vero ambarum extremitatum inferiorum, nec non pelvis viscerum paralysis, ob materiae calcariae exsudationem nervorum radices comprimentem, medicum de indole morbi vera certiorem reddiderit (1). Si caput podagra

(1) Schoenlein's Vorlesungen.

tentatur, vel partes superficiales solae laeduntur, et malum characterem exhibet intermittentem, quo in casu cephalaea arthritica audit, vel in ossium diploe nonnunquam profundiore radices figit ac saepe hypertrophiae ossium, et exostosis, sub forma in lucem emergit, malum dirum, quod nec somnum ullum quietum permittit, neque, si in superficie cranii interiore cerebrum versus spectante sedem teneat suam, remediorum actioni submittitur, donec aeger doloribus vehementissimis vexatus, neque laeta ulla quiete noctu gavisus, vel per inflammationem, aut compressionem cerebri, vel epilepsiam, aut etiam apoplexiae sub insultu, momento temporis, vel lente et cruciatus post longos, miseriis suis morte liberatur.

Si podagrica dyscrasia oculos invadit, sive paroxysmo nullo regulari progreditur, sive partes a centro magis remotas repente relinquens ad oculos transgreditur, partes oculi exteriores, ut scleroticam, iridem, nec non corneam et conjunctivam, vel profundiores, ut lentis capsulam et corpus vitreum, adgredi potest. Iritis arthritica, quae oculum modo unum corripere solet, cum dolore oculi irritante, et sensu quasi corpus quoddam alienum, sicut arenae granum, in oculo sit, semper ingreditur, qui post dies duos tresve increscens, fit ardens et circum orbitam usque ad tempora tendens; photophobia quoque adest et molestias aegrotan-

tis auget, conjunctiva et sclerotica rubescunt nec minus circum corneae marginem color caeruleus |vel violaceus apparet. Iritidis arthriticae diagnosis quam maxime certa fit, cum hic annulus venosus conspicitur, marginem corneae haec vasa non attingunt, sed annulum vascularem, inter quem et corneam spatium dimidiam lineam adaequans omni vascularitate carens observatur. In sclerotica rubor diffusus et per totam tunicam pergens apparet, in conjunctiva pauca sunt vasa tumida, rubida, et quasi varicosa.

Lacrymae ferventes acresque ex oculo profluviunt, cantho autem in interno secretum huic formae proprium conspicitur, nempe flocci albi, mucosi, qui nunquam indurescunt (1).

Iridis color mutatur, structura ejus fibrosa evanescit et vasa caerulea in hac tunica animadvertuntur. Item pupillae forma minuitur vel saepius amplificatur et ovalem induit formam vel irregularis fit, vasaque ejus lympham secernunt, quae vel margini adhaerens vel cameram in anteriorem se profundens, visus obscurationem efficit.

Exacerbatio (ut in omnibus inflammationibus) vespere incepta, mediam ante noctem gradum attingit maximum, dolore cum horribili ad ossa orbitae, temporis vel etiam

---

(1) Juengken, über die Augenkrankheiten.

cerebrum versus tendens, horis matutinis mitior fit. Chemosis haud raro et abscessus, ulcus corneae, pannus, hujus affectionis quasi sequelae prodeunt.

Cum inflammatio podagrica partes oculi profundiores corripit, ut lentis capsulam, vel corpus vitreum, cataractae, glaucomati, aut amaurosi originem praebet. Anatomia pathologica inflammationis arthriticae effectus in pericardio et tunica cordis et arteriarum superficiem interiorem obtegente, nec non membrana mucosa renum et vesicae urinariae, lucidissime exhibuit. Tamen membranas serosas veras morbo raro corripi docet observatio, nec minus structuras quae fibroserosae audiunt, v. g. pericardium, ejus insultibus magis pronas esse.

Phaenomena, quae pericarditidem e podagra orientem denotant, iisdem quae in pericarditide idiopathica observantur, similia sunt; nempe dolor in cordis regione, palpitatio, pulsus intermittens, orthopnoea, lypothymia, cum frigore extremitatum, quibus addamus strepitus, frictione quasi superficierum duarum asperarum inter se factos, qui auscultationis ope eliciuntur. Cum inflammatio podagrica extremitates subito relinquit, et symptomata supra enumerata in lucem prodeunt, de natura mali dubitare nemini medicorum permittitur.

Gangraena, et illa quidem ejus forma praecipue, quae senio-

res invadit, inter podagrae effectus tunicas arteriarum internas adgredientis enumeratur. Gangraenam, quae digitos pedis invadere solet, et senilis appellatur, ab dyscrasia podagrica pendere jam pridem Pott suspicatus est (1), et sane ossificatione tunicae arteriarum internae hanc speciem gangraenae haud raro induci, anatomia jam plane demonstravit pathologica, nec minus degenerationem hanc arteriarum in corporibus eorum qui dyscrasia podagrica longe laboraverint saepe inveniri.

Affectionem peculiarem cordis morbosam, quae anginae pectoris sub nomine cognoscitur, originem e materiae ossificantis depositione in tunicis nempe arteriarum cordis coronariarum trahere suam Ill. Schoenlein censet (2).

Membranis in mucosis podagra secretiones earum alteratas, copiosores, acido praevalente imbutas exhibet, quod etiam in aegris nonnunquam, qui diu in articulis ejus insultibus torquebantur, donec morbus extremitates fugiens superficiem organorum internam v. g. vesicae urinariae, corripit, observari licet, quibus in casibus blennorrhoea arthritica, si urethra, diarrhoea, vero, si intestina, vel catarrhus, si pulmones hoc morbo vitiantur, in conspectum prodeunt.

---

(1) Potts surgical works.

(2) Schoenlein's Vorlesungen.

Effectus quam maxime diros podagra in renes inducere solet, namque in illis, eliminationem urinarum saliumque, in podagricis praedominantium et indolem acrem prae se ferentium, perficientibus, irritatio vel etiam inflammatio facile excitatur, aut illi sales, quam facillime concrescentes, calculis renalibus vel vesicalibus ansam praebent; quod quoque aliis in organis occurrere observatum est, veluti hepate, pulmonibus his salibus nonnunquam defoedatis. Podagra anomala priusquam paroxysmi sub forma in lucem emergit, non semper facile dignoscitur, in junioribus enim nonnunquam, sed praecipue in feminis characterem hunc induere irregularem consuevit, in his, et in illis dolores quidem articulorum adsunt, sed tumor nullus aut rubor, perturbatio digestionis et secretiones acidae in plurimis observantur, sensibilitatem contra metalla peculiarem, veluti cuprum, argentum, aurichalcum, exhibere mulieres hoc morbo afflictae dicuntur (1).

Morbum, qui indole podagrica vera certe caruit, qui tamem affinitatem cum podagra exhibuit aliquam, observavit Heberden, quem verbis sequentibus descripsit. „Hi quidem artuum dolores non solum tanquam rheumatismus primo suo adventu universum corpus pervagati

(1) Schoenlein's Vorlesungen.

sunt, et duos tresve menses permanserunt, sed quod vix unquam in rheumatismo cernitur, bis vel ter eodem anno redierunt primo, et deinde toties per aliquot annos, et quamquam multo mitiores sunt quam quos infert arthritis, tumor tamen major est, et quod in hoc morbo praecipue notatu dignum est, artus inde magis debilitati fuerunt intra biennium, quam eorum qui cum justa atque gravi podagra viginti annos conflictati sunt. Haud inepte dixeris, hunc affectum naturam obtinere rheumatismum inter et paralysin mediam. Mihi visi sunt sexagenarii saepius eo laborare quam juniores, licet non defuerunt exempla aegrorum, quorum artus ante annum trigesimum hoc vitio facti sunt paene inutiles" (1).

DIAGNOSIS.

Hucusque dictis podagrae diagnosis quam facile colligitur, dum modo in mente teneatur, paroxysmos hos periodicos, vel etiam dolores vagantes, perturbationi digestionis et secretionibus morbosis, acidis, vel praecedere vel eas comitari, unde simul elucet, morbum in organismo profunde radices egisse, nec minus discrimen rheumatismum inter et podagram ex iisdem symptomatibus jam enumeratis

(1) Heberdeni opera.

colligere licet, attamen perscrutatione saepe et observatione attenta opus est ad dubitationem omnem removendam, medicumque de charactere morbi vero certiorem reddendum, nec non differentiam morbos inter duos laudatos patefaciendam, quem ad finem de rheumatismi signis characteristicis atque de iis podagrae peculiaribus nunc disserere conamur.

Podagra quoad substratum, cartilagines invadere articulorum, membranas synoviales, tum quoque ossium extremitates nec non tendinum vaginas et structuras omnes fibrosas (musculis exceptis) vel fibro-serosas, quam plurimum observatur.

Rheumatismus autem aponeuroses musculorum, musculos ipsos et structuras fibrosas, sed magis superficiales corripit; perraro accidit, ut structuram osseam invadat. Quoad locum podagra articulos torquere parvos delectat, majores vero rheumatismus. Paroxysmus regulariter invadens febrem semper inducit, cujus febris character ad synochalem vel erythematicum vergens, et post mediam noctem saevire solet, sed horis matutinis per crisin levatur, unde remittentem vel etiam intermittentem nonnunquam exhibet characterem; rheumatismo in acuto febris haud raro abest et vel erythematica vel synochalis esse consuevit atque horis vespertinis maxime saevit,

tamen remittentem quam raro induit characterem; rheumatismo rarissime perturbatio organorum digestionis praecedit, acidorum secretio copiosa et sensus premens in regione scrobiculi cordis non adsunt.

Enimvero enumerationes multas ut omittamus, ad indolem podagricam veram definiendam sufficit, ut eruamus, quibus signis morbus noster semper cognoscatur et a morbis omnibus aliis differat: si enim ex organis quidem chylopoeticis et venis portarum oritur et in lucem symptomatis saepe enumeratis editur, si porro turbae ventriculi et intestinorum graves, secretiones hepatis, renum, cutis, majore acidi lithici quantitate minutae, denique si nodi vel tophi adsunt, dyscrasiam inesse podagricam, licet inflammatione locali nulla existente, plane manifestum est.

His quidem notis jam enumeratis morbi naturam eruere possumus, quamvis mirum non videtur, quod morbi hujus diagnosis nonnunquam difficilis sit characterem mixtum et veluti confusum exhibentis. Quodsi verum est, quod medici illustrissimi affirmant, rheumatismum in podagram transire posse, morbus hoc modo generatus novus est et omnino singularis, atque progenies veluti hybrida existimari potest, ubi principia inter se differentia duo in unum coeunt, qua ex mixtione mor-

bus novus et inexpectatus originem trahit suam, et phaenomena varia heterogeneaque in lucem proferuntur, cujus morbi anomali Heberdeni descriptionem sequentem nobis transcribere licet. „Aegroti saepenumero una rheumatismi chronici invasione insignius salutis suae detrimentum patiuntur quam quotanni podagrae reditu, designitur etiam hoc rheumatismi genus longitudine temporis, quod accessio prima occupat, plurimis per tres quatuorve mensibus aegrotantibus, vero tamen arthritidis primus insultus vix ultra vigesimum diem protrahitur, invasiones vero rheumatismi chronici frequenter accidunt, intervallis tamen magis aequalibus inter se distant quam in arthritide, ventriculus et intestina saepius et citius hoc morbo, quam vera arthritide afficiuntur, etenim dolor, nausea et languor illarum partium fere nunquam desunt, neque sexus, neque aetatis cujusdam proprius est, divites pauperesque aeque ei subjiciuntur. Rheumatismus chronicus plerumque terribilior eventu quam malum arthriticum evadit. Consentaneum esset, hunc morbum propter symptomatum et effectus diversitatem, singulari insignire nomine eumque arthritidem notham vel vagam appellare, ne cum aliis aegritudinibus confundatur.“ (1)

---

(1) Heberdeni opera.

Erysipelas cum podagra confundi posse mehercle non verisimile est, quum respectu modo habito dolorum characteris, partium quae afficiuntur, et morbi durationis, nec non secretionum morbosarum, differentia inter utrumque morbum eximia efferatur, quae quidem in erysipelate alkalinae in podagra acidam semper reactionem manifestant.

AETIOLOGIA.

Sententiae podagrae de natura et origine multae et minime inter se congruentes feruntur. Causae ejus vel praedisponentes sunt, vel excitantes, quae etiam proximae appellantur; inter priores enumerantur labes hereditaria: individua parentibus arthriticis orta, actioni causarum excitantium exposita morbo facillime corripiuntur. Dispositionis hujus congenitae existentia satis superque experientia comprobata esse videtur.

Habitus sic dictus arthriticus inter causas evolutioni morbi faventes enumeratur, quo pertinent ii, qui corpore pleno, robusto, bene habito cum pectore amplo, capite magno, membris torosis, gaudent. (1) Ad momenta dyscrasiae podagricae faventia vel etiam eam elicientia referuntur: vita lauta luxuriosa, sedentaria, labores mentis nimii, veneris excessus, nec non evacuationum

(1) Sydenham.

habitualium suppressio, nec minus rheumatismum causam excitantem medici in arte illustres considerare solent. Clima et mutationes coeli repentinae inter causas haud quaquam minimas enumerare licet. Has causas supra enumeratas Baglivi eleganter sic exprimit. „Eos qui postquam meliores vitae annos mollius ac delicatius transegerint, otio, venere et vino uberius indulserunt, ingravescente jam aetate, ab exercitiis desuescunt et vitam omnino otiosam degunt, podagrae insultibus quam maxime obnoxiae redduntur“ (1). Pueri et eunuchi podagra nunquam laborant (Hippocrates) et Celso auctore ea raro vel castrati vel pueri ante feminae coitum, vel mulieres, nisi quibus menstrua suppressa sunt, tentantur.

Juvenes tamen nonnumquam podagra corripi videntur, sed ii tantum, qui vel a patre valde podagrico generati fuerunt, vel pubertatis periodo veneri intemperantius indulserunt, vel vinum et liquores spirituosos uberius biberunt, vel severioribus literum studiis strenue se dediderunt. (Baglivi.)

De causa podagrae proxima doctrinae variae parum inter se congruentes a viris in arte illustrissimis traditae sunt, quorum vero hypotheses multae et inter se

(1) Baglivi opera.

conflictantes suspicionem, morbi naturam, vel causam proximam hucusque non rite intellectam esse, movent. Doctrina quae olim tradidit Cullen plethorae generalis et hodie ab auctoribus nonnullis rursus exprimitur (1), quamquam vero veritatis prae se speciem fert, tamen observationi parum convenit, nam medicorum inficias ibit nemo, individua esse multa plethorica, quae fluidorum copia justo majore gaudeant, at quae symptomata podagrae nulla ostendunt, neque per cursum vitae longissimum dyscrasiam illam podagricam exhibuerint; tamen relationem obtinere quandam plethoram inter generalem et malum podagricum infitias non imus, sed doctrinae, hunc morbum e sanguine aut aliis fluidis, mera quantitate peccantibus, originem habere suam, docenti, haud quaquam assentiamur.

Darwin hepatis inflammatione corripi involucrum docuit, quod articulos inde vicario modo afficiat. Ill. Schoenlein theoriam cum doctrina Stahlii convenientem proponit hancce, fontem primum mali esse statum anomalum venarum portarum, unde symptomata omnia paroxysmo praecedentia oriri posse, tunc conditionem secretionum morbosam in his venis existere, quippe quae

(1) Cyclopaedia of pract., med. art. gout.

acidorum copiam justo majorem prae se ferant, quae ubi quantitatem certam attinuerint, e corpore eliminandae sint, quod quidem arteriis, vel venis effici possit; quodsi haec eliminatio arteriis fit, paroxysmus podagricus, sin autem venis fit, haemorrhoides in conspectum veniunt. Symptomata generalia paroxysmo praecedentia ad consensum inter venas laudatas cum systemate gangliorum obtinentem referuntur, quo pertinent: somnus inquietus, sensatio in plexu coeliaco quasi spasmodica, dyspepsia, animi depressio (1). Theoria quidem laudata anatomiae ope pathologicae firmior redditur, quae degenerationem venarum portarum organicam, dilatationem nempe, tunicarum earum densitatem, duritiem, lacerationem facillime permittentem, colore rubicundo imbutarum, exhibuit. Theoriam laudatam veritati propius accedere, quam omnes de podagrae natura alias hucusque traditas, rationalium inficias ibit nemo, qui facta ipsa anatomiae pathologicae revelata contemplatur atque hypothesibus vanis remotis, illis solis veluti basi fixae et stabili morbi vult theoriam superstruere suam.

Cum morbo corporis ulli, vel etiam functioni, animum advertamus, non causa quasi una cum ejus effectu obser-

---

(1) Schoenleins Vorlesungen.

vatur, sed seriem veluti causarum et effectuum actione in omni adesse, philosophia docet, in qua factores conspicere licet multos subordinatos, quorum unus nempe prima causa vel factor movens est, sed non effectus, dum reliqui in serie factores, posteriore excepta, et causae sunt et effectus, quare podagrae originem petentibus ulterius nobis pergere permittitur et quaerere, annon status venarum portarum supra descriptus e conditione alia morbosa emergere possit, et quidem ex statu morboso, systematis gangliorum et nervorum splanchnicorum, nec non affectione organorum chylopoeticorum inde pendente. De malis his posterioribus emergentibus, quae quidem nisus plastici erroribus praecipue manifestantur, audiamus Hartmann.

„Diversis certe modis, quoad indolem, mutatur digestio abnormis, cujus aberrationis vestigia chymo etiam, et qui inde paratur chylo imprimantur, necesse est. Huc primo spectat acidi liberi in primis viis generatio, infantibus, et inter adultos hypochondriacis, hystericis, chloroticis et arthriticis solennis. Ipsum quod hic generatur acidum, nunc vegetabilem, nunc vero animalem prae se naturam ferens, nunc sub acidi acetici, nunc ut videtur sub acidi phosphorici aut lithici specie, in lucem emergit, atque originem suam ex nutrimentis jam acidis, aut in fermentationem acidam pronissimis, languidae digestionis officinae

copia majore oblatis, vel ex eo secretionis vitio, quo fit, ut ipse succus gastricus ex natura sua ad polum oxygenium vergens penitus acescat, repetere potest" (1). Hoc filum sequentes, quaestionem, quomodo fiat digestio, proponere licet, et sane organa huic scopo inservientia vi gaudere nulla insita, sed potius systematis gangliorum et nervorum vagorum sub directione actiones suas perficere docet physiologia (2): quibus ex dictis facille intelligi potest, vi nervosa organorum digestionis languente, functiones et ipsas languere earumque actiones irregulariter perfici, et inde conditione a norma abhorrere, quo facto retentiones, plethora localis, v. g. hepatis, venarum portarum, renum et mala inde emergentia omnia, oriantur necesse est. Physiologia principium illud vitae specificum patefacere non valet, et sane vita nobis effectibus ejus modo revelatur, causa ipsa latente, quare fontem morbi ullius petentes de vitae ipsius principio inquirendo parum adjuvare opinamur, sed potius hypotheses inde trahi multas, incertas et mutabiles censemus; quin virium enimvero oppositarum consideratio lucem pathologiae tum therapiae veram afferat, medicorum dubitat nemo, sed de his viribus sanitate inimicis antea disseruimus.

---

(1) Hartmann's Theoria morbi.

(2) Wilson Philip on digestion.

PROGNOSIS.

In podagra tam acuta quam chronica prognosin instituere bonam perraro medico permittitur: in normali forma si quidem paroxysmi tempora certa observant, hieme sola aut vere revertentes, si porro quietudinis intervallis longis aegri gaudent, multo melior est quam in forma irregulari, ubi paroxysmi frequentius aegrum extorquent et vel debilitate ventriculi eximia vel renum morbo comitantur. Aegri nonnulli, qui postquam per annos plurimos impetus morbi experti sunt, pace longa frui licet, vel podagra cessante, alio morbo invaduntur. Haud raro individua, forma irregulari vexata, quorum quidem articuli parum dolent, quorum potius ventriculus debilitate eximia afflictatur, aut renum, hepatis vel etiam pulmonum gravi morbo laborare observamus. Aegrum novimus, qui postquam haemorrhoidibus longe tentatus est, anno aetatis suae quadragesimo et quinto, fluxu cessante haemorrhoidali, podagra irregulari correptus est, quae vero paroxysmum modo unum regularem efficere valebat, donec post paucos annos ad pulmones recessit, et in superficie eorum mucosa, mirabili dictu, paroxysmis quasi imperfectis sed temporibus certis, intervallis regularibus interpositis, sese manifestare solebat, quo in casu morbus post paucos annos in mortem exiit.

Ad prognosin recte definiendam aetatem aegri, constitutionem, morbi formam, causam praedisponentem, an adsit labes haereditaria, rite perpendi oportet. Si morbus est haereditarius, curationis spem non multam offert, quin etiam hoc in casu, si aeger constitutionis adhuc robustae, pleno aetatis vigore, eodem tentatus est. Non plane desperandum est, dummodo prudentia non careat, nam adsunt exempla (1), curae prophylacticae rationalis vim quasi divinam ostendentia, in quibus germen mali quamquam profunde in corpore latens, tamen pabulo suo proprio carens, in lucem nusquam fructum efferre valuit. Forma podagrae acuta regularis facilius quam chronica curationem admittit, patet quoque prognosin secundum caelum, anni tempus, orbis regionem variabilem esse, nam podagra magis regionibus in frigidis, humidis, quam in iis caelo sereno gaudentibus, vigere solet. Paroxysmi cujusque regularis prognosis quam maxime bona est. Nodi, concretiones, articulorum anchyloses, nisi in forma valde chronica et in aetate provectiore, non saepe conspiciuntur et perraro resolvuntur. Si articulationes majores, ut genu, coxa, morbo invaduntur, mala, si vero cor, pericardium, ventriculum, aut columna vertebralis, aut cerebrum podagra aggreditur, prognosis pessima definienda est.

(1) Cragies practice of physic.

THERAPIA.

Medici veteres, paroxysmum esse corporis materie peccante conflictum, credentes, et secretiones omnes morbosas in systemate ipso generatas, aut productiones sanitatem corporis laedentes, partibus e nobilioribus ad extremitates conjici. et inde sub febris actione per crisin ultra limites corporis expelli, therapiam instituerant huic hypothesi convenientem, simplicem nempe et per quam hoc opus naturae quam minime disturbari judicavere; recentiores et ii praecipue qui doctrinam plethorae generalis sectantur, e therapia priscorum secedentes, methodum medendi ab ea longe diversam huic morbo opponunt, quam quidem opinionem de recentioribus nostram veluti generalem considerari haud quaquam volumus, nam medici adsunt multi hodierni illustrissimi, qui therapiam priorum, magno cum jure, nobis censentibus, ei recentiorum anteponunt. Heberden, qui doctrina ab antiqua recessit, de paroxysmo his verbis sententiam expressit suam. „Siquidem accessio podagrae revera sit corporis quaedam exoneratio, per quam materia morbosa jam summe accumulata foras projiciatur, qui fit? ut medicamentum purgans, mox a decessione ejus sumptum, toties fecerit morbum recrudescere et pari vehementia ac ante saevire? quod ita sit, usu cognitum non mihi solum sed et aliis medicis

quorum auctoritas et est, et esse debet summum (1).“ Therapiam huic doctrinae recenti convenientem, illum adjungere facile intellectu est, de qua nobis licet Heberdeni testimonium utere.

„Novi podagricum, cui in more positum erat singulis morbi in accessionibus venam incidere, quod per sex et triginta annos facere consueverat. Alius quoque saeviente dolore arthritico, ad sanguinis missionem semper confugit, dolore illinc delenitus est, et somnus placidus recreansque inductus, neque quantum intellexi, aut hunc aut illum poenituit tam abnormis curationis (2).“

Siquidem paroxysmi podagrici cursum nec non remediorum in eodem effectus bene perlustramus, de sententiae veterum veritate dubitare nobis non licet, quoniam observatione constat, paroxysmo regulari, corpus semper relevari, et pro tempore saltem vires ejus refici. E contra autem exempla non pauca effectus nimiae sedulitatis medici perniciosos ostendunt, et therapia sic dicta antiphlogistica paroxysmi non solum confundi cursum, sed etiam periculum vitae aegri afferri. Curationem in prophylacticam et in eam sub paroxysmi insultu instituendam dividimus.

(1) Heberdeni, opera.

(2) Ibidem.

Cura sub paroxysmi insultu instituenda.

Cura prophylactica. Ex hucusque dictis vitam lautam et opiparam cum desidia et omnibus vitiis vitae luxuriosae adhaerentibus podagrica mala fovere et ipsa formare colligere licet, ergo illi, qui haec timet, fugienda sunt, imprimis otium imbecille et desidia e societate hominis labe haereditaria infecti longe removenda sunt.

Is qui artuum dolores timet corpus laboribus exerceat, cibos lautos, crapulas vitet, et castris in veneris modice militet, aquam ut remedium prophylacticum verum bibat, ambulet, naviget, in aëre libero equitet, et in mari libero balneis utatur, mature matutino tempore lectum effugiat, denique homini juveni robusto exercitatio usque ad sudorem semper prodest, haec enim cutis curatio plethoricis, nullo tempore, sine damno omittitur. Balnea marina nec non alia quaecunque corpus roborant, perspirationem aequalem fovent, et digestioni succurrunt, vera sunt antipodagrica remedia. Ventriculi autem ad satietatem exoneratio nunquam quidem utilis, in homine podagram timente semper damnosa est. Curandum quoque est, ut alvus victu vegetabili, digestioni facile succumbente, libera sustentetur, quod si ex votis minus contingit, medicamenta cathartica, tonica, amara, parva quantitate assumenda sunt.

Is qui modo jam relato vitam degit suam, doloribus artuum vel aliis miseriis raro afflictatur, adsunt etiam exempla eorum, qui postquam diu cruciatibus articulorum laboravere, spe relevaminis dolorum inducti, luxuriis relictis, ad vitam simpliciorem reversi ab omnibus cruciatibus liberati sunt, et corporis sanitate cum mentis hilaritate recuperata senectutem usque ad canam viguere (1).

Cura sub paroxysmi insultu instituenda. De medicamentis, quae specifica virtute gaudere a medicis nonnullis habita fuerunt, hoc loco, ut disseramus nobis non propositum est, quoniam paroxysmum esse nisum naturalem rati, per quem corpus e materia peccante exoneretur, in curatione ejusdem medicum gubernatoris quasi vices agere oportere censemus, cui ergo scopo regulae medicinae generales inserviant: si quidem morbus febri multa stipatur, methodus antiphlogistica postulatur, juvenibus nec non subjectis plethoricis venaesectio nonnunquam requiritur, quae tamen caute instituenda est, si febris adest mitis, quies et diaeta vegetabilia sufficiunt. Aegris aetatis provectioris nec non subjectis debilioribus venaesectio minime prodest nec sine periculo instituitur. Dolorem in parte correpta vehementem et somnum et re-

(1) Cragie's practice of physic. Art. Gout.

quiem fugantem, hirudinum applicatione, sed potius fomentationibus calidis sedare conemur, hirudines quidem paucae circum partem dolentem individuis rubustis cum pulsu pleno, ad dolorem removendum dubitatione sine ulla applicentur, tamen indolem morbi metastaticam in memoria semper teneamus et morbo in extremitatibus sedem figente, his locis illum detinendum curemus. Damnum, quod nonnunquam infert depletio localis, ut illustremus, historiam sequentem proferamus. Juvenem novimus, qui post saltationem in seram noctem porrectam, mane sequente, dolore in pedis halluce correptus est, cui rubor et tumor non ita multo post accesserunt; quamquam autem dolor violentus fuit, suspicio tamen naturae morbi verae nulla excitata est, quia juvenis antea symptomata podagrae exhibuerat nulla, quare sanguisugae parti dolenti admotae sunt, quo facto cessavit dolor, sed eheu! morbus ad partem nobiliorem repente recessit et pericarditidis gravissimae symptomata in lucem prodiere.

Remedia enumerare varia, medicis indicatione sine ulla rationali et vario successu parti correptae applicata, nobis non est in animo, quoniam virtutes iisdem attributae incertae sunt, et quorum usum medico rationali indignum esse censemus; attamen cataplasmata levia emollientia, articulis tumentibus nonnunquam cum fructu ad-

moventur, vel aquae calidae vapores parti dolenti admissi dolorem vehementem mitigant, nec non articulus dolens in gossypio vel pannis laneis, ad perspirationem fovendam, involvendus est.

Ad crises fovendas partiales, quae cursu paroxysmi, auroram versus, dolori et febri levamen afferant, diaphoretica levia, v. g. Spt. Mindereri, Inf. Sambuci, Pulv. Doveri, cum fluidis tepidis diluentibus administranda sunt, hora somni autem cum dolor praecipue urget Pulv. Doveri vel Tinct. Opii levamen desideratum aegro afferant.

Paroxysmi ad finem, cum renes acidorum in corpore praevalentium eliminationem suscipiunt, diuretica leviora, veluti Kali, acet. nit. usui sunt, cathartica fortiora nisi forte obstipatio adest continua jure aspernantur, et clysteribus postponenda sunt. Aetate provectiore et in subjectis phlegmaticis cum vires ad paroxysmum formandum parum sufficiunt, quod tumore non valde rubescente, vel parvo dolore, pulsuum infrequentia cum debilitate dignoscitur, ad remediorum usum virtutem magis tonicam et stimulantem prae se ferentium, veluti Guaiacum aut solum, aut cum Pulv. Doveri conjunctum, aut in forma Tinct. ammoniatae, nec non, vinum generosum nobis fugiendum est, ad partem vero affectam cataplasmata e seminibus sinapeos, vel fomentationes aromaticae cum

Spirit. Camphorae admovendae sunt, post quarum usum pars in panno laneo calido, sicco, involvenda est. Fomentationis Bradieri virtutes a nonnullis laudantur, et in his casibus torpidis fructum aliquem afferre possint.

Nunc vero podagricorum intervallis, quae inter paroxysmos interveniunt, quomodo fit curatio, restat ut paucis adumbremus. Is qui semel dolore horribili hujus morbi vexatus fuit, et de hujus praesentia in suo corpore jam certior redditus est, rationem vivendi novam ingrediatur necesse est, qua saepe permultum impetratum est, si vitam luxuriosam et otiosam antehac degerit, si Veneri aut Baccho intemperantius deditus fuit, aut si literarum cupidus, exercitationibus corporis relictis, has nimia sedulitate excoluerit et sera nocte intempestive lucubraverit. His quidem imprimis relictis, regulas artis rationalis strenue observet hasce.

Juveni, corpore robusto plethorico gaudenti, victus vegetabilis, sine vino aut condimentis ullis, sufficit, nam constat homines multos vel etiam nationes totas sine usu victus animalis sanitate bona gaudere, quare victus vegetabilis a medicis nonnullis veluti remedium contra podagram specificum aestimari solet (1), praecipue si aquae potui conjunctus est.

---

(1) Cragie's practice of physic. — Magendie physiolog.

Lactis puris recentis usus cum victu laudato conjungi debet, de cujus virtute liceat Celsi testimonium afferri.

Quidam, dicit lib. quarto, etiam cum asino lacte epoto se eluissent in perpetuum hoc malum evasuerunt, quidam cum toto anno a vino, mulso, venere, sibi temperassent, securitatem totius vitae consecuti sunt, idque utique post primum dolorem servandum est, etiamsi quievit. Motus corporis in aëre libero nullo die negligi debet, et in homine robusto usque ad sudationem cum utilitate nonnunquam protrahitur, qui tamen post pastum non suscipiendus est, simul quoque corpus vestitu laneo contra mutationes coeli muniendum est. Viribus in corpore florentibus, artibusque adhuc parum implicitis, exercitationibus althleticis, equitatione, nando in mari, aeger roborem meliorem acquirit, quam per curationem ullam nimis scrupulosam, legibus artificiosis institutam. Podagricis nil magis quam nocturnae lucubrationes nocet, quae ergo effugiendae sunt et horis tempestivis dormiendum est. Qui autem vel aetate grandiore vel morbi insultibus infirmatus est, qui porro nodis aut tophis cretaceis afflictatur, aut eximia debilitate ventriculi laborat, curationem magis scrupulosam quam illam supra laudatam requirat, necesse est, quoniam illi exercitationes vehementes aut balnea frigida parum conveniant; huic

balnea tepida, cum frictione corporis, magis prosunt: ad stomachum labentem reficiendum medicamenta tonica, amara, veluti Rad. Columbae, Gentianae, lich. Lig., Quassiae, Cort. Cascarillae, administranda sunt, et cum remediis alcalinis, veluti Carb. Sodae, Kali Ammoniae, Aqua Calcis, cum fructu adjungi possint. Colchicum autumnale in forma tinct., seminum et radicis, nonnullis laudatum, an huic podagrae formae prosit, ignoramus. Victus generosior sed parva quantitate et saepius repetita permittitur, atque usus vini boni parum acidum prae se ferentis, non plane prohibendus est. Secretiones variae, cutis, renum et hepatis, prae aliis, foveantur: ad transpirationem cutaneam promovendam, Guaiacum, praecipue tinct. ammoniatae ejusdem camphora, Pulv. Doveri, balnea tepida, cum frictionibus, spectant, acet. kal., spt. Juniperi, tinct. scillae, renibus movendis sufficiunt, et calomelas, aut pil. hydrargyri, parvis dosibus, cum rheo, colycynthidis ext., sapone, bilis secretionem movere queant.

Usu cibi restricto vel fame moderata, inunctione unguenti hydrargyri simul adhibita, depositiones cretaceas, interdum resolutionem, effici posse, experientia Rust et aliorum satis confirmavit (1), qui tamen modus curationis quam caute instituendus est.

(1) Rust's Arthrokakologie.

Si morbus extremitates relinquens, in cerebrum, ventriculum, pericardium, aut aliud organorum nobiliorum trajicit, tunc conamina nostra eo, ut morbus ad hanc partem, quam prius tenuerat, recedat, dirigenda sunt, quare ad partem prius tentatam sinapismi admoveamus, atque inflammationem organi alicujus, hoc modo orientem, regulis medicinae generalibus curemus, ex. g. pericardio correpto, venaesectionem caute instituimus, et hirudines, cucurbitulae cruentae, regioni cordis admovendae sunt. Necnon medicamenta, quae contra pericarditidem idiopathicam valent v. g. digitalis, mercurius etc., hoc casu quoque, indicanda esse censemus, ventriculo solo laborante opium et aromata administranda docet Sydenham. Enim vero quidem ut in omnibus morbis, ita et in nostro de quo jam agimus, therapiam, secundum aegri aetatem, vires, constitutionem, nec non morborum genium praevalentem moderandam esse, lectorem benevolum iterum monere nobis liceat.

VITA.

Ego Thomas Aickin die XIV mensis Septembris, anni domini MDCCCXVI, oppido Trim, in Hibernia sito, patre Joanne Aickin equite, et matre Maria e stirpe Patten, quibus adhuc vivis et valentibus, intimo ex animo et gaudeo et Deo gratias ago, natus sum. Quoad fidem, ecclesiae anglicanae doctrinas sequor. Primis literarum rudimentis domi et in scholis privatis imbutus, anno vitae decimo, ad gymnasium quod tunc temporis Droghedae, Rev. Georgii Needham sub auspiciis floruit, me contuli ibique per quinque annos et dimidium versatus sum, quo relicto scholam quae nunc Rev. Thomae Huddart sub auspiciis Eblani floret, petii, et per annum frequentavi. Tempore parvo elapso, civium numero academicorum almae universitatis Sanctae Trinitatis Eblanensis adscriptus fui, et ibi graecis et latinis literis nec non philosophicis et mathematicis disciplinis, per annos quatuor operam dedi. In aede chirurgica regia Hibernensi, et in scholis privatis, has praelectiones audivi.

Jacob, Harrisson, Hart et Hargrave, de anatomia et physiologia, cum arte cadavera dissecandi, per semestria hiemalia quatuor; Colles, Wilmot, Porter de chirurgia per semestria duo; Apjohn de chemia; Williams et Geohegan de materia medica et medicina forensi; Stokes et Green de pathologia et therapia, nec non cursus praelectio-

num duos Jacobi professoris de morbis oculorum audivi. Nosocomiis quae Richmond et Whitworth. Carmichael, O'Beirn, Adams, Hutton, Green, M'Donnel sub auspiciis florent, per semestria hiemalia quinque frequentavi at praelectionibus chirurgorum et medicorum laudatorum clinicis interfui. Nosocomio in obstetricio celeberrimo Eblanensi artem Kennedy sub auspiciis obstetriciam didici et ejusdem diploma obtinui. Anno MDCCCXXXIX examinibus rite superatis numero chirurgorum apud aedem regiam chirurgicam Eblanensem adscriptus fui et licentiam, medicinam et chirurgiam in Hibernia exercendi, obtinui, et semestri inde sequente apud aedem regiam Belfastiensem artem cadavera dissecandi Drummond, professoris, sub auspiciis, docui.

Mense Julio anni peracti Vindobonam petii, ubi clinicas Ill. Jaeger et Rosas sub auspiciis, ophthalmicas et clinicen chirurgicam Ill. Seibert frequentavi, nec non anatomia in pathologica Ill. Rokitansky benignitate multum profeci. Vindobona relicta, Berolinum me contuli, ubi per semestre hiemale peractum Ill. Juengken, Ill. Dieffenbach et Ill. Schoenlein clinicas scholas frequentavi; atque operationum in cadaveribus, Ill. Schlemm sub directione, cursum perfeci. Omnibus his viris clarissimis Germanis et Hibernis gratias agere maximas dum vita manet nunquam desinam.

THESES.

1. Labes arthritica haereditaria nonnunquam deleri potest.
2. Labor, cibo simplici comite, optimum podagrae medicamentum est.
3. Omnibus in morbis debilitas, quae urget, vel falsa est, vel vera.
4. Morbus est turbatio relationis.
5. Libri medicinam populariter tractantes noxii sunt.
6. Tracheotomia in angina membranacea nullum habet valorem therapeuticum.